



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Eduardus M. 18. Martij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

**S**ustulerat Edgarus Angliæ Rex binos  
 filios: ex Elfedâ, lectissimâ matro-  
 nâ, EDUARDUM nostrum? ex Elfridâ  
 improbissimâ muliere, Ethelredum. Illi  
 utpote natu majori regnum Edgarus, &  
 quæ major regno hereditas est, virtutem  
 reliquit. Non hanc, sed illud invidit no-  
 verca improba, &, quò purpuram E-  
 thelredo suo pingeret, sanguinem statuit  
 EDUARDI fundere; quin si fieri aliter  
 jam non posset, cum diademate caput  
 auferre. Commodum impiis consiliis ac-  
 cidit, ut quanto regni suo anno illic ve-  
 naretur EDUARDUS, ubi pessima fera  
 noverca stabulabatur. Nimirum hæc ve-  
 natori laqueos ponit, rogat tectis hospes  
 filius succedat. Abnuentem, haustum  
 certè è manibus parentis accipiat, obte-  
 statur. Heu! ut nunquam magis odit no-  
 verca, quàm dum amat! Dum bibit, fu-  
 bornatus ad scelus servulus, cultro necem  
 domino fert, vinumque sanguine mis-  
 cuit; corpus exanimè in proximâ casâ  
 occultatum: sed scelus Elfridæ unaque  
 virtutem EDUARDI prodidit etiam in  
 nocte lux insolita, casam omnem illu-  
 strans, lucemque ad eò mulierculæ inha-  
 bitantis oculis ferens, quam nunquam  
 prius videre. Iterum in paludes abjectum  
 calum ostendit indice columnâ igneâ.  
 Ergo

Ergo extractum omnique honore tumulatum Martyris corpus fontem prope dedit, ex quo passim sanitatem ægri bibebant. Noverca etiam veniam oratura illic contendit, sed neque eques, neque pedes progredi unquam potuit, semper vi, nescio, quâ arcanâ repulsa. Dixisses neque supplici novercæ jam manes fidere.  
*Ex Surio.*

*Plantare pacem radicibus, Dei est: erellere penitus, inimici. Nam sicut amor Fraternalitatis ex Deo est, ita odium ex Diabolo: quia propter damnanda sunt odia, quoniam scriptum est, qui odit fratrem suum, homicida est. S. Pet. Chryl. serm. 53.*

S. JOSEPHUS SPONSUS B. M. V.

19. Martij.

**C**ompendium laudum JOSEPHI dederò, si convixisse JESU & MARIÆ dixerò; huic Sponsum integerrimum, illi nutritorem sedulum. Arcanorum ergo conscius omnium, multa gravissus est gaudia, multa dolenda doluit. Utraque VII. fuisse binis è D. Francisci coetu ipse voluit manifestum. Et gaudium quidem primus omnium delinivit animum nuntius, quo non nisi DEO plenam MARIAM intellexerat, tum deinde aures recrearunt ad cunas magni infantis choraule nobiles; sed longè demulsi suavius nomen, quod ipse indidit, dulcissimum.

M 4

Jana